



Clephus in gēte Longobardica maximæ for-
 titudinis & autoritatis homo fuit. itaq; post
 Alboini interitum omnium consensu rex electus
 est. Erat is erga hostem magna sæuitia præditus,
 ita ut prælio uictos horrenda morte tolleret. Itaq;
 multi mortalium relicta patria in Venetas insulas
 confugerunt. In eo motu Clephus Tannetum ini-
 micam urbem solo æquauit. Forum Cornelij au-
 tem, quod Antiochus Narsetis dux euerterat, re-
 stituit, ut Longobardi munitum locum haberēt,
 unde Rauennates, Fauentinos, & Forliuiēses p-
 pius infestaret. Hæc urbs postea ab arce, quam e-
 dito loco habuit, Imola nominata fuit. Postea Cle-
 phis Classense oppidum occupauit, locum haud procul Rauenna. Hinc ue-
 lutī ex arce quadam Rauennatium res crebris incursionibus infestauit. Mi-
 sit deinde suos duces cum parte copiarum ad cætera Italiæ loca oppugnan-
 da, quæ sub Alboino capi nō poterant. Itaq; factum ut præter Romam & Ty-
 bur cæteræ urbes, oppida, & arces, metu fortissimī huius regis, Longobardo-
 rū armis cesserint. Nulli etiam dubium erat, quin breui Romā quoq; caperet,
 & funditus dirueret, aut omni Quiritium stirpe extincta, eam hominibus sue-
 gentis habitandam traderet. Nam quo cunq; tendebat, instar ruentis torrētis
 omnia prosternebat & conculcabat. Cum autem magnanimus Heros in cur-
 su uictoriæ esset, inuidorum quorundam opera domestica fraude interiit, an-
 no Christi quingentesimo octuagesimo primo.